

ri poterunt? Ita ergò Ecclesia in suspensò relinquetur: Ita de fide semper disputandum erit: Ita lites & controversiæ nullo fine terminabuntur.

CCCXLVII.

V. Periculosum & perniciosum est. Etenim, si mortuo universali pastore subrogandus foret alius, quanta orirentur in regnis, utpote divisis, nec uni Monarchæ subiectis, dissensiones? Quivis enim Rex sibi honorificum putaret, si ex suis hominibus œcumenicis iste præsul eligeretur. Hinc ergò occasio daretur distractionibus regnorum, motibus bellorum, aliisq; corruptelis, largitionibus, insidiis, dolis & seditiõibus, &c. quæ mala omnia feliciter præcaventur, si antiqua Aristocratica regiminis forma observetur. Præterea, si apud unum foret summa rerum potestas, & uterque gladius, facile ille plus sibi arrogaret, quàm deberet; facile cristas erigeret, & pro lubitu in Ecclesiâ dominaretur; quidvis in cultu divino mutaret, & recipiendum proponeret; si laberetur in heresim, tota Ecclesia periclitaretur; si qui veritatem defendere vellent, pro arbitrato in ipsos sevirerent, sicuti experientia ipsa, & infinita Pontificum exempla, cum magno Ecclesiæ damno, hætenus satis edocuerunt. Primatum igitur Papalem, non tam commo fidelium, quàm detrimento; non tam laudabili Ecclesiæ gubernationi, quàm perniciosæ tyrannidi, & hætenus serviisse, & naturâ suâ servire, indubitanter concludo.

Questio nona & ultima.

Quale tandem sit & esse debeat

Ecclesiæ regimen?

CCCXLVIII.

ANAZIANZENO dictum est: *δὲι πρὸς τῷ εἰπεῖν ὃ μὴ ἐστὶ, καὶ ὃ ἐστὶν, εἰπεῖν.* Cum igitur hætenus fuse disputaverim de regimine Ecclesiastico, quale non sit, jam colophonis loco vera istius ratio & forma exponenda restat. Illud verò prænotandum est, quòd inter politicam & Ecclesiasticam gubernationem non sit exacta convenientia, ideoq; dum quandam regiminis formam ad Ecclesiam applicaturus sum, non de univocâ ratione & identitate, sed duntaxat de similitudine & analogiâ quadam me loqui existimetis.